



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119193**

Benevole Lector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)



## BENEVOLE LECTOR.

Controversiam, quæ anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto tam Romæ, quam in Belgio circa *Monita salutaria B. V. ad cultores suos indiscretos* agitabatur, jam in fine hujus tomi relatam reperies: Enimvero inde Romanæ Ecclesiæ hostes triumphum canere moliuntur, atque eorum aliqui superstitosam Catholicorum pietatem publico testimonio comprobari convitiantur, alii vero hanc corruptelam, ac devotionis intemperantiam ab ipsa Ecclesia approbari, eo ex capite calumniati sunt, quod Clemens X. summus Pontifex suo decreto hæc monita damnarit: Attamen hæc immerito & perperam Ecclesiæ ac summo Pontifici imputari, aliunde sat luculenter patet: quali enim cultu Catholici Beatam Virginem venerentur, ex Concilii Tridentini



tini decreto discere potuissent, ea autem, quæ in præfatis monitis superstitiosa Catholicis imputantur, ab Ecclesia atque a Clemente Papa, aliisque Pontificibus nunquam fuisse approbata, innumera docent testimonia, idque testatur ipsemet Clemens X. cum enim hæc monita in suo decreto rejecerit, *donec corrigantur* manifeste indicavit, in illis corrigenda esse, ea, quæ vel falso Catholicis imputantur, vel tanquam superstitiosa rejiciuntur, cum tamen dignam debitamque pietatem præferrent: Hæc ergo Pontifex salva voluit, cetera corrigenda censuit: Ut ergo quivis suum quoque desuper judicium ferre, proprioque oculorum testimonio convinci possit, operæ pretium duximus, primo hæc ipsa monita, prout hoc anno Leodii apud Nicolaum de la Rache prodierunt, fideliter transcribere, huicque tomo inserere, postmodum etiam alia monita prioribus opposita Duacensibus literis eodem anno apud Mariam Serrurier edita adjungere.

MONI-

MONITA SALUTARIA

B. V. MARIÆ

AD CULTORES SUOS INDISCRETOS.

§. I.

*B. Virgo respuit impœnitentium cultum.*

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS (a).

1. **N**on est pulchra aut speciosa laus in ore peccatoris (b): Non est pulchra dilectio in corde subdito peccatis (c). Frustra me diligunt, qui in peccatis perseverant: qui enim Deo non placent, nec mihi placent.

Ego quos amatores volo, imitatores cupio.

Noli me putare *refugium peccatorum* impœnitentium. Si me amas, fac quod maxime desidero; nimirum, *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* (d)


2. *Nolite credere omni Spiritui, sed probate Spiritus, si ex Deo sint.* (e)

Ne itaque facile recipiatis omnes & quasvis historiunculas, quæ de meis apparitionibus, aut revelationibus, aut beneficiis & privilegiis promiscue circumferuntur.

a 3

Ne

(a) Eccl. 24. (b) Ibid. 15. v. 9. (c) Sap. I. v. 4.  
(d) Deut. 6. v. 5. (e) I. Joan. 4. v. 1.



Ne sitis ex numero illorum, qui a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur: (f)

Nemo igitur vestrum confidat, me cultores meos ex inferno ad pœnitentiam revocare, aut propter aridas aliquas devotiunculas in iudicio defendere.

## §. II.

*B. Virgo non patitur se amari, nisi Deus ametur super omnia.*

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

1. **N**on est pulchra dilectio mei, absque charitate Dei, qui creavit me. Ne credas te propter aliquem cultum, quem mihi exhibes, si charitatem non habeas, prædestinatum esse (g). *Sola dilectio discernit inter Filios Dei, & Filios Diaboli.* Qui prædestinantur ad hoc prædestinantur ut conformes fiant imagini Filii Dei (h). *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis (i).* Qui ergo carnem suam non crucifigunt, non ad Christum, ac per consequens nec ad me spectant; quamvis multis me prosequantur officiis,

2. Non

(f) 2. Tim. 4. v. 4.

In ep. 1. Joan.

(i) Gal. 5. v. 24.

(g) S. Aug. tract. 5.

(h) Rom. 8. v. 29.

2. Non est privilegium ullum peccatori impœniten-  
ti concessum, ut æternum non  
patiatur incendium, quantumvis me  
colere præsumperit (k): *nisi enim pœnitentiam  
habueritis, omnes similiter peribitis, sive Cul-  
tores mei, sive non.*


Non est enim auditum a sæculo, ut  
qui seriam pœnitentiam neglexerit, per  
me liberatus fuerit. Nec quidquam juva-  
bunt eum formulæ & precatiunculæ, quas  
recitaverit, aut signa & instrumenta pie-  
tatis quæ gestaverit, nec Confraternitates  
aut Sodalitates, quibus nomen dederit.

Cavete a laqueo diaboli, qui sub præ-  
textu facilis & commodæ pietatis exter-  
næ, securitatem peccantibus suadet, ut  
differant pœnitentiam, & mortificationem  
carnis negligant; præsumentes de divina  
misericordia, & mea intercessione illis non  
defutura.

Procul a me sit, ut ego hos degene-  
res meos Cultores in iudicio defendam:  
accusabo ego eos potius ob injuriam mihi  
illatam, quod me jactent patronam injustæ  
& impiæ causæ suæ, & fautricem im-  
pœnitentiæ. Nec enim putandum est,  
quod ego compatiar, aut collachrimet  
illis, qui a Filio meo damnantur. Volun-  
tas ipsius, voluntas mea est (l). Justam  
a 4 ipsius

(l) Luc. 13,

(m) Proverb. I. v. 26,



ipsius sententiam ego approbo, & cum illo ridebo in interitu ipsorum, & subsannabo eos, qui innixi fuerint baculo arundineo, putantes, quod pietas externa sufficiat. Merito de illis dicet Iudex: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (m).

3. Dicitur est vobis a Filio meo. (n) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Numquid putatis quod amplius proderit ei, si dixerit mihi (o), Domina, Domina? absit ut ista credatis. Licet enim quis linguis hominum loquatur aut Angelorum, si charitatem non habuerit, factus est velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Proinde quamvis inter Angelos meas laudes decantares, si charitatem non habueris, nihil es* (p).

### §. III.

*B. Virgo nihil sibi vult tribui nisi dependenter a Deo.*

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

1. **N**on est pulchra dilectio, vel laus quæ Deo non tribuit omnia.

III

(m) Jerem. 2. v. 13.

(n) Matth. 7. v. 21.

(o) 1. Cor. 1. v. 13.

(p) Ibid. v. 2.

Illi soli debetur omnis laus, honor, & gloria (q). Ego non quero gloriam meam (r); sed gloriam ejus qui creavit, & redemit me (s).

Laus quæ mihi defertur, si non redundet primo & principaliter in Deum, qui dedit mihi omnia quæ habeo, non est laus mea, sed vituperium.

Laus quæ mihi defertur ut Matri, & Ancillæ Domini, sancta est.

Ego enim ante pedes Agni mitto coronam meam (t), quamvis sit pretiosissima inter omnes alias, sciens quod a me nihil sum. Ego enim *Conserva vestra sum* (u).

Cum itaque me laudas, præcipue Deum meum lauda, & magnifica, qui respexit humilitatem ancillæ suæ: & fecit mihi magna qui potens est (x).

Si me invocas, ad hoc invoca, ut defectum & imbecillitatem tuam suppleam precibus meis ad Deum.

2. Noli cor tuum dividere ut me præter Deum, & non propter Deum ames.

Nolo ego quidquam Deo subtrahere, vel cum Deo dividere.

Deus infinitus est, & infinite amandus; omnem tuum exoptulans & absorbens amorem.

a 5

Noli

(q) 1. Tim. 1. v. 17.

(r) Joan. 8. v. 50.


(s) S. Aug. de vera. Relig. c. 55.

(r) Joan. 8. v. 50.

(t) Apoc. 4. v. 10.

(u) Ibid. 22. v. 9.

(x) Lucæ I. v. 48. &amp; 49.



Noli me colere, ac si non sufficeret tibi Deus. Absit a te ista cogitatio.

Si Deum habes, nullo alio indiges, & in Deo habes omnia.

Si me habere posses sine Deo, nihil tibi prodesset, & nihil haberes.

Noli dicere, quod, si me non haberes, desperares. Confide *Christo*, qui neminem desperare finit.

3. Nolite me colere, ac si non daretur aditus ad Deum per *Christum*, sine me.

*Unus enim est Deus, unus & mediator Dei & hominum Christus Jesus* (y).

*Advocatum habetis apud Patrem, Jesum Christum qui interpellat pro vobis* (a).

*Ipsa est ostium, ipse est via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum* (b).

*Ipsi data est omnis potestas in caelo & in terra, non mihi* (c).

*Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat vos salvos fieri, quam nomen Jesu Christi filii mei* (d).

*Ipsa est Alpha & Omega, principium & finis* (e). *Omnia & in omnibus Christus* (f).

Noli me colere quasi Deum subalternum (g).

4. Qui

(y) Tim. 2. v. 5.

(b) Rom. 8. v. 34.  
& cap. 14. v. 6.

(c) Act. 4. v. 12.

(g) Col. 3. v. 11.

(a) 1. Joan. 2. v. 1.

(c) Joan. 10. v. 7.

(d) Marc. 28. v. 18.

(f) Apoc. 1. v. 8.

4. Qui me *Mediatricem* vel *Advocatam* dicunt, non eo sensu dicant, quo *Filius meus* proprie est *Mediator & Advocatus*.

Ille *novi testamenti mediator est* (h).

Ille propriis meritis Deum placavit, ille solus pacem fecit inter Deum & homines (i).

Ille *Torcular calcavit solus, & de gentibus non erat quisquam cum eo* (k).

Nemo itaque mihi hæc tribuat. Ego enim non placui Altissimo, nisi in *Christo*, & per *Christum*, *Salvatorem & Redemptorem* meum.

*Numquid ego crucifixa sum pro vobis, aut in nomine meo baptizati estis* (l)?

5. Si me amas & colis ut patronam tuam apud Deum, bene facis; multum enim valent preces meæ. Cavendum tamen, ne per hyperbolem vel zelum immoderatum mihi quidquam tribuas, quod Deo soli debetur, vel *Christo*.

Deus enim *Zelotes* est, qui *gloriam suam alteri non dat, nec dari finit* (m). Cave ne quidquam Deo detraxeris, ut me honores, sicut *Colliridiani* (n).

Ne

(h) Hebr. 9. v. 15.

(i) Col. 1. v. 20.


(k) Isaïæ 63. v. 3.

(l) 1. Cor. 1. v. 13.

(m) Exod. 2. v. 5.

(n) Isaï. 42. v. 8.

S. Epiphan.



Ne itaque dixeris, me esse *omnipotentem*, ne me vocaveris *Salvatricem*, aut *Corredemptricem*. Absit ut dicas Deum non potuisse aut posse excellentiorem me *Creaturam* facere. Potentia Dei non exhauritur.

Noli dicere quod a tribunali divino ad meum appellari possit: aut me cum Filio meo *divinum* habere imperium.

Recedant ab ore vestro omnes istiusmodi laudes, cum glossis, quibus futiliter excusantur.

Nolo ego ista excessiva encomia, vel *vanas adulationes*.

Simplex sit mea laus & sobria, non *ambigua*, non excessiva, non hyperbolica.

Noli simplices & rudes in errorem ducere, aut devios ab Ecclesia scandalizare, & in errore confirmare; aut Ecclesie *infamiam* aspergere, ac si me coleret instar Dei. Nec te moveant hyperbolice aut anomalæ phrasæ & locutiones quorundam sanctorum, quæ non sunt promiscue usurpandæ, nec sine prudentia & circumspeditione proferendæ, multo minus ampliandæ vel extendendæ.

6. Nolite me in parallelo ponere cum Deo, vel *Christo*.

Procul a vobis sint omnes *comparationes* finiti ad infinitum.

Ego sum *Stella matutina*, sed cum *Sole Justitiæ* nullatenus comparanda.

Ego

Ego *Templum Dei*, ego *Thronus*, ego *Domus*. Sed major est templo, qui habitat in eo (o). Major est throno, qui sedet super eum: Major est domo, qui fabricavit illam (p).

Omnis Creatura, quantumcumque excellens, Deo comparata nihil est. Quid ergo comparas nihilum ad Majestatem infinitam.

7. Noli dicere quod *Christus* sit *Judex* severus: Ego vero *Mater* misericordiae. Quod sibi reservavit *Justitiam*, mihi commiserit *Misericordiam*. Deus ens simplicissimum est, & indivisibile.

Ego non habeo misericordiam nisi ab illo, & juxta ejus beneplacitum.

8. Ille est fons omnis misericordiae & gratiae, qui non potest exhauriri.

*Ille recipit peccatores, & manducat cum illis* (q).

*Ille venit quærere & salvum facere, quod perierat.*

Ille tibi in hac vita non est *Judex* severus, non enim venit ut *judicet mundum*, sed ut *salvetur mundus per ipsum* (r).

Ille *invitat omnes qui laborant & onerati sunt*, ut illos *reficiat* (s).

Ille

---

(o) Matth. 23. v. 17. & seq. (p) Hebr. 3. v. 3.

(q) Lucæ 15. v. 2. Cap. 19. v. 10. (r) Joan. 3. v. 17.

(s) Matth. 11. v. 28.



Ille frater tuus factus est. Ille cum esset in forma Dei, exinanivit semetipsum formam servi accipiens (t): nimirum e summo fastigio ad infimam crucis ignominiam se dimisit.

Exaltatus est a terra, ut omnia traheret ad se (u), nec esset qui præ verecundia se absconderet ab humilitate & benignitate ejus, aut accedere detrectaret.

Accedite itaque cum fiducia ad thronum gratiæ (x), nec quidquam vos ab illo deterrat. Si trepidatis, ducam vos ad illum, & pro vobis orabo: sed nolo ut in me hæreatis.

9. Nolite me tenerius aut sensibilius amare, quam Deum.

Nolite plus fiduciæ in me collocare, quam in Deo.

Nolite plus temporis aut precum mihi quam Deo impendere: absint ista a meis Cultoribus.

Deus sit vobis *omnia in omnibus*.

Quidquid amando vel orando potestis, præcipue Deo impendite, ad quem amandum super omnia creati estis.

Ego non sum finis; sed medium precum vestrarum, & amoris vestri; cui medio non nimium est inhærendum, sed ad Deum properandum.

§. IV.

(t) Phil. 2. v. 7.

(u) Joan. 12. v. 13.

(x) Hebr. 4. v. 16.

## §. IV.

*B. Virgo a se cultum latricæ amovet ipsumque detestatur.*

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

Pulchra dilectio filiorum est, non *mancipiorum*. Non ergo te dixeris meum *Mancipium*. Soli Conditori Deo, & Redemptori Christo homines mancipantur. An nescitis, quia potestas dominica jus vitæ & necis habet in mancipia, omnem illis tollens libertatem & proprietatem? Hoc soli Deo competit.

*Pretio empti estis (y), Sanguinis Filii Dei, nolite fieri servi hominum (z). Liberi estis, qua libertate Christus vos liberavit (a).*

Si ergo revera non estis mea mancipia, quorsum servilibus titulis & signis hoc ostentatis? Inanibus & aulicis submissio- nibus mundus gaudet, non Ego.


Me & Sanctos oportet colere cultu *Dulce, sive dilectionis & Societatis (b)*. Solum Deum vero cultu *latricæ, quæ est quædam divinitati proprie debita servitus.*

Attende ne *dulia* tua degeneret in ad- ulterinam *Latriam*, & impingas in *Præceptum divinum*:

*Domi-*

---

(y) Instit. Justin. de his qui sui vel alien. jur. 8. in potestate. (z) 1. Cor. 7. (a) Gal. v. ult. (b) S. Aug. contra Faust. lib. 20. cap. 21.



*Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies (c).*

## §. V.

*B. Virgo statuarum suarum ornamenta damnat, ubi pauperum cura, & Eucharistiæ cultus negligitur.*

## EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

**P**ulchra dilectio, bene ordinata est. Ne itaque putetis me recte diligi, si statuæ meæ pretiosis vestibus & monilibus fulgeant, *Christus* vero in pauperibus egeat, aut fame vel frigore pereat.

*Pro eo enim quod Ecclesias non ornavit, nemo unquam accusatus fuit: pro eo autem quod pauperum non sit misertus, gehennæ & ignis inextinguibilis minæ sunt intentatæ (d).*

*O vanitas vanitatum! Sed non vanior quam insanior. Fulget Ecclesia in parietibus (& Imaginibus meis) & eget in pauperibus. Suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit (e).*

*Hæc dico, non quod vetare velim talium vasorum (& ornamentorum) oblationem; sed quia dignum putem ante omnia benignitati & misericordiæ esse incumbendum (f).*

Quod

---

(c) Matth. 4. v. 10. (d) S. Chrys. hom. x. in Matth. (e) Bernard. Apol. ad Guil. Abbat, (f) S. Chrys. ubi supra.

Quod si quid igitur in Ecclesiæ decorem, ubi necesse est, conferre velitis, laudo. Sed cupio ut prius curetis vestire *Christum* in pauperibus: deinde eundem decenter ornare satagite in tremendis *Mysteriis sacri Corporis* ejus, quod in Ecclesia asservatur.

Illuc ante omnia venerationem, & oblationes vestras deferte.

Curam potius habete de *Christo*, qui est *splendor Gloriæ*, & viva *Imago Dei invisibilis* (g); quam de mortua imagine *Creaturæ* (h). An putatis mihi placere quod splendeant luminaribus *Imagines* meæ, dum juxta illas squalent receptacula *Corporis* filii mei? Cavete etiam, ne in istis ornamentis, & donariis vestris, magis *inveniatur voluntas vestra*, quam honor *Dei*, & amor mei (i).

§. VI.


*B. Virgo* carpit eos, qui *imaginibus* etiam, quas *Deus* miraculis cohonestavit, & piis locis ad *superstitionem* abutuntur.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

Non est pulchra dilectio *Creaturæ* irrationalis. Nolite sicut gentes ponere fiduciam in statuis vel *imaginibus* meis, quam-

(g) Hebr. I. (h) Col. I. v. 15. (i) Isa. 58. v. 3.

*Hist. Eccles. Tom. LXIII.*



quamvis miraculosæ sint (k); *similes fiunt illis omnes qui confidunt in eis* (l).

Nolite existimare me fuscam aut nigram; aut quidquam momenti in colore situm esse.

Ne arbitremini me aliam esse hic, aliam in Monte Serrato, aliam in Monte-Acuto: Eadem sum semper. Nolite contendere pro hac vel illa figura, pro hoc vel illo loco. Solus Deus novit, cur in uno loco signa plura fiant, quam in alio. Quæ vero fiunt, Deo potius tribuendâ, quam mihi. Ille enim est, *qui facit mirabilia magna solus* (m).

Illi itaque gratia est habenda, *non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (n).

Ille glorificatus est, *qui talem potestatem dedit hominibus* (o).

### §. VII.

*B. Virgo prohibet se ad invidiam honorari.*

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

**N**on est pulchra dilectio quæ est contentiosa (p). *Nolite contendere verbis & invicem mordere circa meas dotes & prærogativas* (q): *ad nihil enim illud utile est, nisi*

(k) Coacil. Trident. Sess. 25. c. 2. (l) Psalm. 113. v. 16.

(m) Psalm. 125. v. 4.

(n) 1. Cor. 3. v. 6.

(o) Matth. 9. v. 8.

(p) 2. Tim. 2. v. 14.

(q) Gal. 5. v. 15.

nisi ad subversionem audientium (r). Ut quid enim præsumitis decernere, quod Deus non revelavit, & Ecclesia non definivit. Recte tractate verbum veritatis, profana autem & vaniloquia devitate (s).

Beatus ille qui cum Apostolo se nihil judicat scire, quam Jesum Christum & hunc crucifixum (t). Quique familiarem habuerit ejusdem formulam (u): Regi sæculorum immortalis, invisibilis, soli Deo honor & Gloria. Amen.

### VOX CULTORIS MARIANI AD B. V.

Sancta Maria Mater Dei invoco te, & rogo, ut tuis precibus suppleas erga omnipotentem Deum, quidquid mea non potest imbecillitas, & ut a dilecto Filio tuo mihi gratiam impetres, ut Deum Patrem, fontem & datorem omnis boni, & Jesum Christum Filium ejus, Mediatorem nostrum cognoscam, amem, eique toto corde serviam. Hoc tuum unicum esse desiderium scio, quæ non quæris quidquam aliud, quam ut in omnibus glorificetur Deus per Christum Dominum nostrum. Amen.

b 2


JESU

(r) 2. Tim. 2. v. 14.

(s) Ibid. v. 15.

(t) 1. Cor. 2. v. 2.

(u) 1. Tim. 1. v. 17.



JESU CHRISTI MONITA  
MAXIME SALUTARIA,  
DE CULTU  
DILECTISSIMÆ MATRI MARIÆ  
DEBITE EXHIBENDO.

CHRISTUS.

*Fili, Ecce Mater tua. Joan. 18.*

1. *Mater pulchræ dilectionis: Eccli. 24. accipe eam in tuam, quam tibi in cruce moriens donavi, illam dilige (a), in cujus manibus reposita est salus tua. Illam invoca, & (b) pervenies ad regnum meum (c). Quibus enim auxiliata fuerit, erit refrigerium pacis, & a quibus averterit vultum suum, non erit eis spes ad salutem.*

PECCATOR.

*An ergo pulchra, aut speciosa laus in ore peccatoris? an pulchra dilectio in corde subdito peccatis?*

CHRISTUS.

*Quin immo, ut speciosa sit laus tua, ut pulchra dilectio, accede ad Matrem pulchræ dilectionis, o peccator: illam ora, quæ est (d)*  
*singu-*

(a) Bonav. in Cant. Domina sudivi. (b) Idem. Pfalm. 86.

(c) Idem Pfalm. 91.

(d) Carth. l. 2. de laud. V. Art. 23.

*singulare perditorum refugium (e), peccatorum refugium atque diversorium, ipsaque (f) civitas omnibus confugientibus ad illam. Ad hanc advola, ut reperias (g) tuæ reconciliationis officinam.*


Nec timeas, licet tibi videaris impœnitens (h): est enim spes desperantium (i), in qua inveniunt, non solum captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, sed & peccator veniam. Accurrens igitur cum fiducia, dic confidenter cum Psalte Regio (k): *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

2. Et, si dubites, Fili, an Spiritus hic ex Deo sit, audi dilectum meum Bernardum (l): *sic est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam. Audi Germanum: (m) Nemo est, qui salvus fiat, o sanctissima, nisi per te: nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te: Audi & quid olim revelaverim Filix meæ Birgittæ (n): Quod nisi preces Matris meæ intervenirent, non esset spes misericordiæ. Neque hoc mireris: quoniam (o) accedit ante aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; Domina,*

b 3

na,

(e) Ephrem. ser. de laud. V. (f) Damascen. or. 2. de dormit. (g) Andreas Cret. or. 3. de dorm. (h) Ephrem. supra. (i) Bern. ferm. in fig. mag. (k) Psalm. 86. (l) De aquæducto. (m) Hom. de nona. (n) Lib. 6. rev. cap. 26. (o) Damian. ser. I. de Nativ. V.



na, non ancilla: Et quomodo potentiae ejus obviare poterit potestas illa, quae de ejus carne carnis suscepit originem? si igitur ego (p) à Patre meo exauditus sum pro mea reverentia, ratione filiationis: an non & Maria exaudienda est pro sua reverentia, ratione maternitatis? his itaque crede, Fili, nec ideo eris ex numero illorum, qui a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur: sed potius eorum, qui (q) viam veritatis elegerunt, & judicia mea non sunt obliti.

## CHRISTUS.

Fili, Ecce Mater tua.

3. *Mater pulchrae dilectionis* (a). Illam honora, & invenies vitam, & salutem perpetuam (b). *Beati enim, qui devote ei famulantur: illam dilige* (c), quae diligentes se diligit.

## PECCATOR.

An pulchra dilectio Matris absque charitate Dei, qui creavit illam?

## CHRISTUS.

Sicut (d) una est Mariae & Christi caro, ita unus Spiritus, una charitas: Si igitur per affe-

(p) Hebr. 5.

(q) Psalm. 118.

(a) Bonav. Psal. 48.

(b) Idem Psal. 118.

(c) Idiot. in prol. contempl. de B. V. M.

(d) Arnold. Carnot. de laud. V.


affectum accedis ad Matrem, per eundem  
 accedis ad Filium: si glorificas Matrem,  
 glorificas & Filium, quia (e) *Filii gloria  
 cum matre non tam communis est quam eadem:*  
 cum (f) *individua sit utriusque gloria, &  
 commune commercium:* (g) *matrisque honor &  
 gloria, laus & gratiarum actio redemptoris.*  
 Matrem itaque dilige, & diliges Filium:  
 Matrem cole, & coles Filium: (h) *nulli  
 enim dubium, quin totum ad gloriam laudis  
 Dei pertineat, quidquid digne Genitrici suæ im-  
 pensum fuerit, ac solemniter attributum.*

P E C C A T O R.

4. At, quid juvabit me cultorem esse  
 Matris, si pœnitentiam prius non egero?  
 dixisti enim: *Nisi pœnitentiam habueritis,  
 omnes similiter peribitis.* An auditum a sæ-  
 culo, ut qui seriam pœnitentiam neglexe-  
 rit, per Matrem tuam liberatus fuerit? An  
 quidquam juvare poterunt formulæ, &  
 precatiunculæ, quas recitavero; aut signa  
 & instrumenta pietatis quæ gestavero; aut  
 confraternitates Sodalitatesve, quibus no-  
 men dederò? Numquid, si me prius ad te  
 non convertero, exprobrabis mihi, quod  
 olim per Prophetam: *Me dereliquerunt fon-  
 b 4 tem*

(e) Idem. (f) Idem. (g) Ildefons. l. de  
 Virginit. S. M. c. 12. ser. 3. de aff.

(h) Sophron. ser. de aff. B. M. apud Hieron.  
 tom. 4. alias 9.



tem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas?

## CHRISTUS.,

Plurimum enimvero juvabit te esse cultorem Matris meæ: illa enim (i) gratiarum thesauraria (k) omnisque sanctitatis sanctissimus thesaurus, (l) ac laborantium propitiatorium, (m) non solum supplicantes exaudit: sed ut ex sua clementia consuevit, etiam supplicare volentium preces prævenit: ita ut (n) velocior sit nonnumquam salus memorato Nomine ejus, quam invocato Nomine meo.

Si quæras; (o) quare propitior salus in recordatione ejus, quam Filii sui sæpe percipitur: Respondebit tibi amantissimus noster Anselmus: illum audi: (p) Filius ejus Dominus est, & judex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur.

Ad illam igitur festina, quæ (q) hanc in oculis meis gratiam invenit, ut animas a messo-

(i) Idem. supra.

(k) Andr. Cret. supra.

(l) Ephrem. sup. (m) Conc. Basileæ in instit. festi vilitat.

(n) Ansel. de exc. V. cap. 6.

(o) Idem.

(p) Idem.

(q) Bonav.

in spec. cap. 5.

*m* ssoribus, hoc est, *Do*ctoribus & *Re*ctoribus tanquam incorrigibiles relictas, colligere ad misericordiam & veniam possit.

Festina, (r) *in*ijce pedem tuum in compe-des illius, & *in* torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. Illius cultui te totum devove.

5. Nec te pudeat mancipium esse tantæ Matris (s) cui Filius res omnes conditas in servitute addixit. (t) Summus honor, summa gloria, & summa utilitas est servire Mariæ, & de ejus esse familia: etenim ei servire regnare est . . . . & ejus agi frænis summa libertas . . . . Gens & regnum quod non servierit illi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur: solitudine inquam; quia destitutæ tantæ Matris auxilio, destituuntur auxilio Filii, & totius curiæ cælestis.


(u) Obsecra igitur illam, ut te in servum perpetuum suscipiat: (x) servus quippe Mariæ si ceciderit, non collidetur; quia domina misericorditer supponit manum suam. Illam (y) in Dominam, Patronam, & Advocatam elige, firmiterque statue, ac propone, te numquam illam derelicturum, neque contra illam aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permisurum,

b 5

(r) Eccles. 6. (s) Damasc. or. 2. de aff.

(t) Richard. a S. Laur. de laud. V. part. 1. rat. 16. & 19. (u) Orat. Sod. B. M. V.

(x) Idem ibid. (y) Eccles. 6.



surum, ut a tuis subditis aliquid contra ejus honorem unquam agatur: hoc fac & vives. (2) Ne acedieris vinculis ejus, subjice humerum tuum, & porta illam: ne detrectes servare leges, quas tibi præscribunt (a) Sodalitia in ejus honorem pie admodum, utiliterque erecta, ac instituta, & a me per Vicarios meos approbata, tamquam securissima ad salutem media.

Si peccatorum funibus te circumplexum sentias, carnisque stimulis angaris; cinge lumbos tuos sacro Francisci *Cingulo*, piisque ejus monitis & legibus obtempera, ac singularem erga Matrem meam affectum, devotionemque imitare.

Si mundi vanitatibus trahi te cernas; ad florigerum illum hortum manu Virginis plantatum te confer, ibique multis refertum mysteriis collige *Rosarium*, cujus spiritualis suaveolentia non solum mihi Matrique gratissima est, sed & tibi contra mundi hujus foetores utilissima.

Si denique illum times, qui *tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret*, fuge cito

---

(2) Confrat. S. Trin. inst. An. 1196. ab Innoc. III. aliisque 46. successor. approbata. Confrat. S. Franc. inst. An. 1587. a Xisto V. & Clem. VIII. aliisque successor: approb. Confrat. S. Rosarii instit. a S. Domin. a Pio V. aliisque success. approb. Confrat. Zonæ S. Aug.


cito ad montem, ibique *scutum fume inexpugnabile SACRUM SCAPULARE*, quod a Patre concessum est Matri in *signum salutis* eorum, qui illud constanter, & ex pio, ac sincero in Dei Matrem affectu gestaverint. Hæc quippe, quæ (a) *diligit diligentes se, immo sibi servientibus servit*, sui amatores hoc insignitos caractere non potest non redamare, non potest reclamando deserere, adeoque nec potest incessanter pro iis non orare, donec ea gratiæ subsidia ipsis obtinuerit, quibus vel per constantem mandatorum observationem, vel per sincerum ac perfectum de peccatis dolorem, æternam salutem consequantur: ideoque recte dictum: (b) *in quo quis moriens æternum non patietur incendium.*

## CHRI-

Aug. An. 1430. ab Eugen. IV. aliisque success. confirm. Confrater. S. Scapularis, instit. Anno 1251. a S. Simone Stoch, & ab Innoc. IV. aliisque 28. success. & S. D. N. Clemente X. approb. Sodal. B. V. inst. ap. PP. Soc. Jesu An. 1584. a Gregor. XIII. aliisque success. approb. Sodalit. SS. OO. Duaci Crecia in coll. Aquic. An. 1572. & a Clem. VIII. aliisque success. approb.

(a) Idiot. sup.

(b) B. V. M. Simoni Stock.



## CHRISTUS.

*Fili, Ecce Mater tua.*

6. *Mater pulchræ dilectionis: (a) Illam honora, & impetrabit tibi salutem & pacem: Illam lauda, illam glorifica, (b) in cujus manibus reposita est salus tua.*

## PECCATOR.

Numquid tibi soli, o Christe, debetur omnis laus, honor & gloria? numquid Mater tua conserva nostra est? numquid ancilla tua?

## CHRISTUS.

Noli vocare conservam tuam, quæ cum adhuc in ejus laterem utero, Spiritus sancti illuminante gratia a cognata sua Elisabeth Mater Dei proclamata fuit. Neque ancillam ut dixeris, cujus (c) humilitatem ita respexit Omnipotens, ut Dei Patris Verbum carne sua indutum utero gestaverit: dumque se ancillam confessa esset, mater facta fuerit sui plasmatoris, ideoque & (d) omnium Domina.

Matrem itaque invoca, cui magna fecit qui potens est: Matrem invoca (e), in cujus manu salus tua: Matrem invoca, quæ post  
*Filium*

(a) Bonav. Psal. 83.

(b) Id. in cant.

Domina audiv.

(c) Aug. supr. magnif.

(d) Bern. sup.

(e) Idiot. supra.



*Filium Domina est universæ terræ. Matrem invoca, cujus misericordia sæpe liberavit, quos justitia Filii damnare potuit. Matrem invoca, (f) quæ omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Matrem, inquam, invoca, ut gratiam invenias apud Patrem & Filium. Nam (g) sicut omnis ab ea aversus, & despectus, necesse est, ut intereat: ita omnis ad eam conversus & respectus, impossibile est, ut pereat.*

## PECCATOR.


7. Da veniam Christe: numquid mihi sufficit Deus? an si Deum habeo, aliquo alio indigeo? numquid in Deo habeo omnia?

## CHRISTUS.

Recte; unus tibi sufficit Deus: at Deum non invenies, nisi per Mariam, quæ est *Templum totius Trinitatis* (h). Quod igitur Deo offerre vis, *Mariæ manibus trade, si non vis sustinere repulsam*, (i) ex quo enim dictum est ei, *Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum & donum*: (k) sicque illam  
Deus

(f) Bern. supr. (g) Ansel. in alloq. cælest. n. 27. edit. Lugd. An. 1630. & ex eo Bonav. tom. 6. l. 1. Pharetræ cap. 5.

(h) Bern. ser. de nativ. V. (i) Arnold. de laudib. Mariæ. (k) Anselm. c. 12. de excell. V.



*Deus exaltavit, ut omnia secum possibile ipsi esse donaverit, evaseritque illa (l) benedictionis fons, ac bonorum omnium scaturigo. Et quemadmodum (m) facultas illi deesse non potest, sic nec voluntas: ideoque (n) peccatorem materno affectu amplectitur, fovet nec deserit, quousque horrendo judici miserum reconciliet. (o) Inventa igitur Maria invenitur omne bonum.*

## PECCATOR.

8. Numquid unus Mediator Dei & hominum?

## CHRISTUS.

*Sed (p) opus est mediatore ad mediatorem, qui licet sit misericors; habet tamen judicariam potestatem: nec alter vobis utilior quam Maria. Sum quidem mediator & advocatus apud Patrem: sed (q) ipsa est advocata apud Filium, sicut Filius apud Patrem: imo apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones vestras. Sicut enim est omnium Regina, sic & omnium Patrona & Advocata, & cura illi est de omnibus; (r) & tamquam mater misericordiae, & efficaciter salutis tuae negotia pertractat.*

*Ad*

- 
- (l) Damasc. or. 2. de ass.      (m) Bern. ser. 1. de ass.  
 (n) Idem ap. Bonav. in spec. c. 5.  
 (o) Idiot. sup.      (p) Bern. in sign. mag.  
 (q) Idiot. sup.      (r) Bern. ser. 1. de ass.

(s) *Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem talis Filius obtineat? exaudietur utique pro sua reverentia. Sed forsitan in ipso Majestatem vereare divinam: quia licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatam habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre . . . . exaudietur & ipsa pro sua reverentia: exaudiet utique Matrem Filius & exaudiet Filium Pater.*


q. (t) *An criminum immanitate turbatus, conscientiae sceditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipis absorberi tristitia, desperationis abisso? Ad Mariam recurre: quæ est (u) Dei & hominum Mediatrix optima, ac totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima: imo & \* spes unica peccatorum, in qua tuorum est expectatio præmiorum.*

(x) *An intelligis te in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare? ne avertas oculos a fulgore hujus Sideris. si non vis obrui procellis.*

(y) *An venti tentationum insurgunt? an scopulos tribulationum incurris? Respice stellam, voca Mariam.*

An

- (s) Idem de aquæ ductu. (t) Idem hom. 2. sup. miss. (u) Ephrem. de laud. V.  
 (\*) Aug. ser. 2. de domin. annuuc.  
 (x) Bern. sup. (y) Idem.



An times pericula? (z) *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca; (a) nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ea. Mille clypei (id est remedia contra pericula) pendent ex ea.*

An virtus ardua? (b) *In omni opere virtutis potes eam habere in adiutoriam, & ideo dicit ipsa Eccles. 24. In me spes vitæ & virtutis (c). Spem itaque illius habens, servaberis; defensionem ejus possidens, non timebis: imo & persequeris inimicos tuos, & in fugam vertes, habens ut thoracem protectionem & auxilium ejus.*

10. *Ego ostium, via, veritas & vita. Sed hæc est Mater, quæ (d) Paradisi porta efficitur, scala cæli constituitur. Hæc est Mater, (e) in qua est omnis gratia viæ & veritatis; omnis spes vitæ & virtutis. In Matre itaque reperies viam, per quam pervenias ad Patrem.*

*Si mihi a Patre data est omnis potestas in cælo & in terra: hæc est Regina cælorum, hæc Domina Angelorum, quæ potest etiam dicere: post Filium (f) data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, quæ licet non sit absoluta & independens, ut mea; sed subordinata, ac dependens a Patre, cujus est Filia;*

- 
- (z) Idem. (a) S. Thom. opusc. 8.  
 (b) Idem. (c) Damasc. in annunc. degenit.  
 (d) Aug. ser. 2. de ass. (e) Eccl. 24.  
 (f) Damian. ser. 44. qui est 1. in nat. B. V.

*Filia; a Filio cuius est Mater; a Spiritu S. cuius est sponsa; a SS. Trinitate, cuius est templum: tanta tamen est, ut (g) in petitione habeat vires insuperabiles, & robur inexpugnabile, ne immensam ejus clementiam superet multitudo peccatorum: nihil ejus resistat potentiae: omnia ejus obediant imperio; omnia ejus potestati serviant. Adeo ut: (h) Si fingas B. Virginem aliquid postulare, totamque caelestem curiam illi resistere; potentior esset majorisque efficaciae & valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium oratio. Neque id mirum videbitur consideranti, (i) infinitum Dei servorum, ac Matris esse discrimen, justumque esse, ut (k) quae meruit pro liberandis proferre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium.*

*Hæc itaque est Mater, ad quam omnes confugere debent: quippe (l) quæ adjuvat tam bonos quam malos: bonos in gratia conservando, unde canitur: Maria Mater Gratiae; malos ad misericordiam reducendo, ideo dicitur Mater Misericordiae: adjuvat etiam in morte, ab insidiis diaboli protegendo; ideo dicitur: Tu nos ab hoste protege*


(g) Gregor. Nicom. or. de oblat. Dei p.

(h) Suar. tom. 2. in 3. p. d. 23. 8. 2.

(i) Damascen. or. 1. de dorm.

(k) Aug. ser. 2. de aff. B. V.

(l) Idiota sup.



tege: adjuvat quoque post mortem animas suscipiendo; ideo dicitur: Et hora mortis suscipe. Ne (m) tamen aliquis eorum nimis insolens autumet, magis more indiscrete laudantium statui, quam rem sicut est, considerari, eam jure materno cælo terræque cum filio suo præsidentem consideret. Ideo iterum iterumque.

*Fili, Ecce Mater tua.*

II. *Mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis & sanctæ spei.*

Si verearis peccator accedere ad Deum (a) qui ignis consumens est, ne (b) sicut fluit cera a facie ignis, sic pereas a facie Dei; (c) ad Mariam accedere ne trepides: nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam . . . . . quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis & gratiæ: plena sunt mansuetudinis, & misericordiæ.

Si me timeas, quia *Judex* sum, & non solum *misericors*, sed & *justus Dominus*; accede ad *Matrem pulchræ dilectionis & timoris*: accede ad *Patronam*, quæ solum novit misereri, ideoque innumeris velut alis misericordiæ circumdata advolat  
ut

(m) Anselm. de excel. V. cap. 9.

(a) Hebr. 12. (b) Psalm. 67.

(c) Bern. ser. in sign. mag.

ut opituletur. Accede ad gloriosam illam genitricem, cui a (d) *bonitate mea concessum est propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devota Veneratione recurrit, nullo modo decipiatur a demone infernali: hæc enim est a me electa, parata & posita tamquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipue animas peccatorum.*

Accede confidenter: (e) *securum enim accessum jam habes ad Deum, ubi non solum mediatorem causæ tuæ Filium habes ante Patrem; sed & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera, Maria Filio pectus & ubera: Ideoque nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.*

13. Si adhuc hæsites; audi & quid ipsa Mater mea ex ore meo dixerit filiæ meæ Birgittæ: (f) *Ego sum Regina Cæli, Ego Mater Misericordiæ . . . . ego aditus peccatorum ad Deum . . . . Nullus est adeo maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordia mea . . . . nullus est ita alienatus a Deo, nisi omnino fuerit maledictus (damnat)*


c 2

tus)

(d) Revel. S. Cathar. Sen. apud Cor. a Lap  
in Eccl. 24.

(e) Arnold. Carnot. de laudib. S. M.

(f) Lib. 6. revel. cap. 10.



tus) qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam.

Enim vero: Quid negabitur Matri, quæ (g) Mariæ Ægyptiacæ non solum templi Hierosolymitani ingressum, a quo ob fœdissima libidinis flagitia divinitus arcebatur; sed & gratiam impetravit: qua ad meliorem vitam conversa, omnibusque illustre pœnitentiæ speculum relinquens, ad cœlestem gloriam pervenit? (h) Quid negabitur Matri, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? infelicem animulam, totum illud quod in illa factum est, proprio charactere denegantem, de luto facis & misericæ sublevare? Nil illi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.

Accede ergo cum fiducia ad Matrem misericordiæ, ut secure pervenias ad thronum gratiæ & gloriæ.

14. Nec est quod timeas, ne plus fiducia in Matre, quam in Filio colles: aut plus temporis aut precum Matri, quam Deo impendas: (i) Quidquid enim in laudibus Matris profertur, ad Filium pertinet, (k) Ut igitur sis devotus servus Filii, servi-

(g) In Synodo Nicen. Actor. 4.

(h) Damian. ser. 1. de nat. B. V.

(i) Bern. hom. 4. sup. mis.

(k) Hildef. de virginit. B. M. cap. 12.

*servitutum fideliter appete Genitricis: sic nempe refertur ad Dominum, quod servit ancillæ: sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri: sic alternat in nutrito, quod adhibetur in nutrice: sic transit honor in Regem, qui desertur in famulatum Reginae.*


An nescis quid olim fecerit, suisque præceperit dilectissimus meus Matrisque Filius Dominicus? numquid totus erat in salutatione Angelica? illum imitare. Nec ideo desinam tibi esse omnia in omnibus. Sum alpha & omega, principium & finis: sed ad finem non pervenies sine medio. Medium inter te & me est Maria. Ut igitur me invenias, quære Mariam: ut Filium colas, ac diligas, (1) totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc venerare; quia sic est voluntas ejus, qui totum te habere voluit per Mariam: adeo ut (m) nihil a throno Dei divini muneris defluat, quod per Mariæ manus non pertransierit.

*Fili, Ecce Mater tua.*

15. *Mater pulchræ dilectionis, quæ non solum filiorum est, sed etiam eorum qui se ejus mancipia & servos esse*  
 c 3 pro-

(1) Bern. de aquæ ductu in nat. V.

(2) Richard. a S. Viêt. ap. Colv. in Calend.



pronunciant; non instar mundi hujus aulicorum, sed Cœlitum more, sanctorumque PP. Augustini (n), Isidori, Athanasii, Epiphani, Chrysostomi, Damasceni, Bernardi, Anselmi, Hieronymi, Ruperti, Chrysologi, aliorumque, qui, licet dominium regnumque Mariæ sic fassi fuerint, ut illud non aliquibus cancellis circumdandum putaverint, sed potius ad omnes usque creaturas etiam minimas extendendum senserint, non ideo desierunt esse *liberi*, *qua libertate illos liberavi*, sed potius (o) *servire huic Reginae regnare, & ejus agi frænis, summam libertatem esse judicarunt.* Nec ideo inanes fuerunt & aulicæ eorum submissiones; cum per illas gratiam Matris, & gloriam Filii promeriti sint.

Erras, erras fili, si quempiam etiam sanctissimum in parallelo ponas cum Matre, quæ (p) *uno excepto Deo rebus omnibus excelsior est*, (q) *cunctisque superior existit.*

An

---

(n) Apud Salazar. in Prov. c. 18. v. 16.

(o) Rich. a S. Laur. sup.

(p) Andr. cret. or. 3. in dorm. S. M.

(q) Epiph. in ser. de laud. V.

An nescis, Mariam (r) *supergressam esse in natura, in gratia, in gloria universas Filias, id est, universas animas & universas intelligentias angelicas?*

An nescis (s) *Montem esse Mariam, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit? An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad folium Deitatis evexit? An non altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit?*

(t) *Quid dices pauper ingenio? cum de Matre quidquid dixeris minor laus est, quam ipsius dignitas meretur. Si cælum eam voces, altior est. Si Matrem gentium dicas, præcedit. Si formam Dei appelles, digna existit. Si dominam angelorum vocites, per omnia esse probatur.*

Quid? si (u) *Deus sua potentia parando cuncta, Pater est ac Dominus omnium: nonne Beata Dei genitrix suis meritis cuncta reparando, Mater est ac Domina rerum? Deus est Dominus omnium singula in sua natura,*

c 4

pro-

(r) Bonav. in spec. lect. 13.

(s) Gregor. in 1. Reg. cap. 1.

(t) August. tom. 10. ser. 35. de sanct.

(u) Anselm. de excel. V. cap. 11.



propria iussione constituendo &c. *Maria est Domina rerum omnium singula congenitæ dignitati per eam, quam meruit gratiam restituendo.*

An non (x) oportebat *Dei Matrem* ea quæ *Filii* erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut *Dei Matrem* & ancillam adorari?

Igitur (y) *Sicut ex ea natum Dei Filium solem æternum adoras, ut Deum verum: sic & eam honora atque venerare, ut veri Dei genitricem. Et quamvis natura non eadem sit quod ille Sol: nihilominus tanta est, ut eam honoret ipse Sol honore, quo decet filios honorare parentes suos: qui enim dixit, honora patrem tuum & matrem, non dubium, quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis suam velit honorari Matrem: ideo namque (z) omnem gratiam Matri & honorem impertit.*

Vis nosse, quantæ sit dignitatis maternitas Dei? Audi Doctorem Angelicum: (a) *Dicendum quod . . . B. Virgo*  
ex

(x) Damascen. Orat. 2. de assert.

(y) Rupert. in cont. cap. 5. lib. 6.

(z) Hippol. orat. de sanctif.

(a) 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.

ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius ea: sicut non potest aliquid melius esse Deo. Audi & Doctorem Seraphicum? (b) Ipsa est (Deipara) qua majorem Deus facere non posset: majorem mundum posset facere Deus: majorem Matrem quam Matrem Dei non posset facere Deus.

Ex his disce, Matrem meam, & Sanctos servos meos (c) cum infinitum inter illos sit discrimen) non æquali; sed hos dulciæ, illam (d) hyperdulciæ cultu colere, quæ longe eminentioris quam illa est ordinis, licet ad latrariam non pertingat, nec pertingere possit.

## CHRISTUS.

*Fili, Ecce Mater tua.*

16. *Mater pulchræ dilectionis, (a) suavis  
& decora sicut Jerusalem, terribilis  
ut castrorum acies ordinata. (b) Sua-*  
c 5 vis

(b) Lect. 10. in spec.

(c) Damascen. Or. 1. de dormit.

(d) S. Thom. 3. p. q. 25. a. 5. O. & TT.  
omnes.

(a) Cant. 6.

(b) Rupert. in cant. 6.



vis & decora . . . quod ex visitatione ejus discunt animæ plurimæ caelestem ducere conversationem. Terribilis dæmonibus, hæreticis & impiis sicut castrorum acies ordinata, in qua summa est omnium concordia, ac proinde nullus in ea per discordiam aditus datur hosti.

(c) Cessent igitur indocti, vesanique hæreticorum sermones, iniqua eorum labia obturentur, qui (d) invocationem Mariæ idolatricam, & tetrum errorem esse clamant; catholicos falso accusant (e) quod honorem divinum in Mariam transferant, sicque (f) Deo eripiant quod suum est; immo & (g) ipsam Deum constituent, ac (h) invocent, quasi ego non essem propitiator, sed tantum horrendus judex & ultor, (i) colentes pro creatore creaturam, meque relicto vero Mediatore, ad Matrem Virginem convertantur, ab hac postulantes, quod petendum erat a Filio.

*Cessent*

(c) German. ser. de dorm. B. V.

(d) Nicol. Selneccet. apud Canis. de V. M. lib. 5. cap. 16.

(e) Heerbrand. ap. Canis. ibid.

(f) Calvin. in cap. 2. Joan. ap. Can. lib. 5. cap. 11.

(g) Luther. ap. Canis. ibid.

(h) Melancton. ap. Canis. ibid.

(i) Bullinger & Brentius ap. Canis. 18. aliique.

*Cessent inquam indocti illi vesanique hæreticorum sermones: Sileant hypocritæ malis artibus & fraudibus omnia miscentes: iniqua obturentur labia indiscretorum zelatorum honoris mei & gloriæ, qui ut cultum Matris meæ penitus e mundo tollant, ejus splendorem, potentiam, dignitatem ac clementiam obfuscare conantur, quasi hæc æterni Solis splendorem diminuere possent. Obturentur & iniqua labia eorum, qui sacrum Scapulare alis Icari, Chordam S. Francisci laqueo Judæ: immo & ipsam Matrem meam cuilibet vulgari fœminæ publicis in concionibus per summum contemptum assimilando, Imagines, Rosaria, Litanias aliasque precationum formulas, & externa in Deiparam pietatis officia, exitiosa aut inutilia esse affirmant.*

Tu vero (k) *Audi Fili, & accipe consilium intellectus, & ne abjicias consilium meum: (l) Confortare in Domino, & in potentia virtutis ejus: indue te armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias diaboli, & asseclarum ejus: sta in veritate & indue lorica[m] justitiæ: in omnibus sume scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, in quo possis omnia tela nequissimi ignea*

(k) Ecclef. 65,

(l) Ephes. 6.



*ignea extinguere, ac Deiparæ, Cœlorum Reginæ gloriam, honoremque tueri. Sta firmiter in hac castrorum acie ordinata, ut (m) bello petitus eam hostibus opponas, immissionemque per angelos malos evertas.*

Nulla inordinatio, nulla discordia reperitur inter veros Mariæ clientes, qui sub ejus vexillis in Sodalitiis, & Confraternitatibus militantes, prompte obediunt Evangelio: non contendunt verbis, nec invicem mordent circa dotes & prærogativas Matris meæ: multo minus præsumunt decernere, quod Deus non revelavit, & Ecclesia non definivit. Tales quippe non reperiuntur in hac acie bene ordinata, (n) non dissipata per invidiam, sed constipata per charitatem: in qua omnes sancte statuerunt Deo & Ecclesiæ in omnibus parere: adeo ut unusquisque quod mihi & Matri gratum est, exequi studeat. His cura est de tremendis Mysteriis, ut debito cultu adorentur: illis, de captivis ut redimantur: his, de pauperibus ne fame aut frigore pereant: illis, de rudioribus ac infirmis in fide, ut catechisentur: omnibus, ut *Regi Sæculo-*

(m) German. supra.


(n) Hugo a S. Vict. ex Miscellan. 2. l. 2.

*culorum immortalis, invisibili, soli Deo sit  
honor & gloria (divina & patriæ) in sæ-  
cula sæculorum. Amen.*

**CULTORIS MARIANI  
AD DEIPARAM,**


**ORATIO.**

**O** MARIA Mater DEI, potentissima  
cœli terræque Regina: Ecce JE-  
SUS dilectissimus Filius tuus te mihi in  
Matrem dedit. Per admirabilem igitur  
amorem, quo illum dilexisti, te obte-  
stor, suscipe me in filium. Miserere mei,  
**O MATER** Misericordiæ, & magnam  
miseriam indignissimi peccatoris sublevet  
magna, atque ingens miseratio piissimæ  
Matris. Largire **O Mater Gratix**, ut  
illis annumerer, quos tamquam filios  
amas, foves ac protegis. Accipe, quæ-  
so, animam tui amantem, & serva in te  
sperantem, **O spes unica peccatorum, in**  
qua



qua nostrorum est expectatio præmio-  
rum. Fac ut amore amoris ejus mo-  
riar, qui amore amoris mei dignatus  
est in ligno crucis mori: ut tandem te  
cum Patre, cujus es Filia; cum Filio,  
cujus es Mater; cum Spiritu sancto,  
cujus es Sponsa; cum omnibus Sanctis,  
quorum es Regina, videre & glori-  
ficare merear in perpetuum.

Amen.



CON.